



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Epiphaniæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

IN FESTO
EPIPHANIÆ.

1.

*Vidimus enim stellam ejus in Oriente, &
venimus adorare eum, Matth. 2.*

Divinis monitis exemplo trium Magorum
obsequendum est. De Apparitione Domini
Mense X. Disc. 279. pag. 86.

2.

*Ubi est, qui natus est Rex Judæorum,
Matth. 2.*

Quæstio hæc ab hospitibus longinquis facta
Jerolymis turbavit totam civitatem, & Re-
gem Herodem, qui cùm audisset, eos adora-
re novum Regem velle, renunciare jussit, u-
bi esset: *Ut & ego veniens adorem eum.* Vide hu-
militatem horum Magorum & Regum, sapi-
entùm simul, ac potentium: adorare infan-
tem veniunt, & adorant inventum. Quàm
graviter errant homines superbi, habitantes
in mirabilibus super se! Planè & mentiuntur
sibi, & verecundiam abjecere, & omnem sa-
pientiam perdidere, dum humiliato DEO ipsi
exaltari desiderant, quem alienigenæ tam hu-
militer adorant. Mense V. Disc. 149. pag. 563.

3.

Ne redirent ad Herodem. Matth. 2.

Humaniter exceperat Magos Herodes, non ex virtute, sed desiderio noscendi posteaque interficiendi novum Regem Christum. Quis æquo animo ferat, hominem alienigenam, nec jam de stirpe Davidis natum dominari Judæis, & ab his foveri, ita ut non ipse solum adventu Magorum turbaretur, sed omnis etiam Jerosolyma cum illo? Planè dum cælitus moniti sunt Magi, ne redirent ad Herodem, noluit DEUS perfidi Regis impietati velificare, docuitque nos, sine invidiæ peccato tristari quandoque licere de impiorum hominum felicitate ac potentia, quando justus timor impellit. *Mense VI. Disc. 177. pag. 430.*

4.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2.

Moniti à DEO declinaverunt Magi Herodis regiam, ne ille jam antea dominandi libidine inflammatus per ipsos magis incenderentur ad abutendum potentiâ suâ, & natum Christum interimendum, priusquam huic fugiendi spatium daretur. Quisque bonus gaudere debet, Herodem fuisse illusum à Magis; tristari verò de exsatiata ab illo crudelitate in infantium reliquorum cæde. Similis indignationis occasio sæpius occurrit nobis; verum bene
atten-

attendendum est, quatenus citra peccati periculum tristari nobis de malorum hominum felicitate liceat. *Mense VI. Disc. 179. pag. 471.*

IN FESTO
S. SEBASTIANI.

I.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.
Luc. 6.

Summa hæc est Martyrum gloria, quod suam illis potestatem communicaverit Christus: *Opera. quæ ego facio, & ipse faciet.* Certè quod hodie de Christo dictum est, idem de S. Sebastiano dici potest: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Propterea merito ab Ecclesia colitur tanquam Patronus sanitatis contra morbos & maximè pestilentiam. Ad DEUM igitur potius & S. Sebastianum, quàm ad humana remedia fugiamus, dum simili malo affligimur. *Mense IV. Disc. 120. pag. 535. usque ad num. 10.*

2.

Gaudete in illa die, & exultate.
Luc. 6.

DEUS, dum alibi locorum grassari morbos permittit, nos monet, ut solliciti ad ipsum